

norosorum generationem pertinere: non quod posteriores majorum scelerum pœnas semper luant: sed licet illi liberique eorum impune tulerint: non omnis tamen eorum posteritas iram Dei penamque vitabit.

Exemplum.

Quod Josiæ regi accidit: huic enim propter singularem pietatem, cum pepercisset Deus, dedissetque (a) ut in pace in sepulcrum majorum suorum inferretur, ne videret consequentium temporum mala quæ, propter Manassis avi impietatem, Judæ et Hierusalem erant eventura, eo mortuo, in posteros ejus est ultio Dei consecuta, sic ut ne filiis quidem Josiæ pepercit.

Objectio solvitur.

Qua autem ratione hæc legis verba sententiæ illi, quæ est apud Prophetam, non adversentur: (b) Anima quæ peccaverit ipsa morietur; sancti Gregorii auctoritas, cum reliquis omnibus antiquis Patribus consentiens, aperte ostendit; inquit enim: Quisquis pravi parentis iniquitatem imitatur, etiam ex ejus delicto constringitur; quisquis autem pravi parentis iniquitatem non imitatur, nequaquam delicto illius gravatur.

Nota et doce.

Unde fit ut iniquus filius iniqui patris non solum sua quæ addidit, sed etiam patris peccata persolvat, cum vitis patris quibus iratum Dominum non ignorans, etiam suam adhuc malitiam adjungere non formidat; et justum est, ut qui sub districto iudice vias parentis iniqui non timet imitari, cogatur in vita præsentis, etiam culpas parentis iniqui persolvere. *Exstat locus Gre-*

(a) 1 Par. 34, 27, 28. 4 Reg. 22, 20. — (b) Ezech. 18, 4.

gor. lib. 15 Moral. c. 51. Vide August. Epist. 75 divum Thom. 1, 2, q. 87, art. 8.

Bonitas Dei justitiam superat.

LI. Commemorabit deinde parochus quantum Dei justitiam superet ejusdem bonitas ac misericordia: irascitur tertiæ quartæque generationi Deus; misericordiam vero in millia impertit.

Deum oderunt peccatores.

LII. In eo autem quod dictum est: Eorum qui oderunt me, peccati magnitudo ostenditur. Quid enim flagitiosius ac detestabilius, quam summam ipsam bonitatem, summam veritatem odisse? Hoc vero ad omnes peccatores idcirco pertinet, quod quemadmodum, (a) qui habet mandata Dei et servat ea, Deum diligit: ita qui legem Domini contemnit et mandata ejus non servat, Deum odisse merito dicendus est.

Amore legi parendum.

LIII. Quod vero extremum est: Et iis qui diligunt me, servandæ legis modum ac rationem docet; necesse est enim, eos qui legem Dei servant, eadem charitate atque amore quo in Deum sunt, ad ejus obedientiam adduci, quæ deinceps in singulis præceptis commemorabuntur.

DE SECUNDO DECALOGI PRÆCEPTO.

NON ASSUMES NOMEN DOMINI DEI TUI IN VANUM (b).

Hoc præceptum a primo cur distinguitur.

I. Quanquam primo divinæ legis præcepto, quo Deum pie sancteque colere jubemur, hoc, quod secundo loco sequitur, necessario continetur; nam qui sibi honorem tribui vult, idem postulat

(a) Joan. 14, 21. — (b) Exod. 20, 7.

ut se summo verborum honore prosequamur prohibetque contraria; quod et illa Domini apud Malachiam verba aperte indicant: (a) Filius honorat patrem et servus dominum suum; si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus? Deus tamen pro rei magnitudine, hanc de suo ipsius divino et sanctitatis plenissimo nomine honorando, legem separatim ferre idque nobis disertis et perspicuis verbis prescribere voluit.

Quam diligenter explicandum sit hoc præceptum.

II. Quod sane paroco ipsi argumento in primis esse debet nequaquam satis fore si de hac re generatim loquatur; sed ejusmodi locum hunc esse, in quo ipse diutius commemorari et quæcumque ad hanc tractationem pertinent, distincte, dilucide accurateque apud fideles explicare necesse sit. *De hoc præcepto vide divum Thom. 2. 2. q. 122, art. 5, item et 1, 2, quæst. 100, art. 5.*

Quam sæpe et temere jurent homines.

III. Neque vero nimia hæc diligentia censenda est, cum non desint, qui adeo errorum tenebris obæcati sint, ut quem angeli glorificant, ei maledicere non vereantur: neque enim lege semel lata deterrentur, quominus Dei majestatem quotidie imminuere, imo singulis pæne horis ac momentis, impudentissime audeant. Quis enim non videat omnia jurejurando affirmari? omnia imprecationibus et execrationibus referta esse? usque adeo ut nemo fere vel vendat aliquid, vel emat, vel negotium aliquod gerat, qui non jurisjurandi religionem interponat, Deique sanctissimum nomen millies, vel in re levissima et inani, temere non usurpet.

(a) Malach. 1, 6.

Nota. Quo major paroco cura et diligentia adhibenda est, ut sæpe fideles admoneat quam grave hoc scelus sit et detestabile.

Unum hic præcipitur, aliud prohibetur.

IV. Jam vero in hujus præcepti explicatione id primum constet, cum eo quod lex fieri prohibet, earum etiam rerum præceptionem conjunctam esse, quas præstare homines debent: utrumque autem separatim docendum est.

In hoc præcepto quid præcipiatur.

V. Primum quidem, ut ea quæ tradenda sunt, facilius exponantur, quid jubeat lex, mox etiam quid vetet; nam quæ imperat, illa sunt, nomen Dei esse honorandum, ac per illud sancte jurandum. Hæc rursus quæ prohibet: Nemo divinum nomen contemnat, nemo illud in vanum assumat, neve pro ipsum aut falso, aut frustra, aut temere juret.

Nomen Dei quomodo honorandum.

VI. In ea itaque parte, qua jubemur divino nomini honorem tribuere, parochus fidelibus præcipiat Dei nomen, ipsius, inquam, litteras et syllabas, aut omnino per se nudum verbum tantummodo attendendum non esse; sed in eam cogitationem veniendum, quid valeat illa vox, quæ omnipotentem ac sempiternam majestatem unius et trini numinis significat.

Nota. Ex his autem facile colligitur inanem esse nonnullorum Judæorum superstitionem, qui quod scriberent Dei nomen pronuntiare non auderent, quasi in quatuor illis litteris, non in re divina vis esset.

Singulis Dei nominibus par honor detur.

VII. Sed quamvis singulari numero prolatum

sit: Non assumes nomen Dei; id non de uno aliquo nomine, sed de omnibus quæ Deo tribui solent intelligendum est: multa enim Deo imposita sunt nomina, ut Domini omnipotentis, Domini exercituum, Regis regum, Fortis, et alia id genus, quæ in Scripturis leguntur, quæ parem eandemque venerationem habent omnia.

Scire divinum nomen et honorare tenemur.

VIII. Deinde docendum est quomodo divino nomini debitus honor adhibeatur: neque enim christiano populo cujus ore Dei laudes assidue celebrandæ sunt, rem utilissimam et pernecessariam ad salutem ignorare fas est.

Quamvis autem multiplex sit ratio laudandi divini nominis: tamen in iis de quibus deinceps hic dicitur, vis et pondus omnium videtur esse.

Dei nomen quibus modis laudandum.

IX. *Primus.* — Primum igitur laudatur Deus, cum in omnium conspectu Deum ac Dominum nostrum fidenter confitemur, Christumque salutis nostræ auctorem quemadmodum agnoscimus, ita etiam prædicamus.

Secundus. — Itemque cum verbo Dei, quo voluntas ejus enuntiatur, sancte et diligenter operam damus, in ejus meditatione assidue versamur; studiose illud addiscimus, aut legendo, aut audiendo, perinde ut cujusque personæ et muneris aptum et consentaneum est.

Tertius. — Deinde divinum nomen veneramur et colimus, cum officii et religionis causa divinas laudes celebramus, ac de omnibus rebus tum prosperis, tum adversis, illi singulares gratias agimus: inquit enim Propheta: (a) Benedic,

(a) Ps. 102, 1.

anima mea, Domino; et noli oblivisci omnes retributiones ejus. Exstantque plurimi David psalmi, quibus egregia quadam erga Deum pietate illius divinas laudes suavissime decantat. Exstat admirabile illud patientiæ exemplum Job: qui cum in maximas illas horribilesque calamitates incidisset, Deum tamen excelso et invicto animo laudare nunquam intermisit. Nos itaque cum animi corporisque doloribus cruciamur, cum miseris et ærumnis torquemur, statim ad Deum laudandum omne studium et animi nostri vires convertamus, illud Job dicentes: (a) Sit nomen Domini benedictum.

Quartus. — Neque vero minus Dei nomen honoratur, si fidenter opem ejus imploramus, quo scilicet aut nos ab illis liberet, aut ad eadem fortiter perferenda constantiam et robur largiatur. Hoc enim fieri vult Dominus: (b) Invoca, inquit, me in die tribulationis et eruam te, et honorificabis me; cujus implorationis, cum multis aliis in locis, tum præcipue in Psalmis 26, 45 et 118, illustria reperiuntur exempla.

Quintus. — Præterea Dei nomen honore prosequimur cum fidei faciendæ causa testamur Deum: qui modus a superioribus valde differt. Nam quæ supra enumeravimus, ita suapte natura bona sunt, atque expetenda, ut nihil beatius, nihil homini optabilius possit esse, quam si in illis sedulo exsequendis se ipsum dies noctesque exercent. (c) Benedicam, inquit David, Dominum in omni tempore: semper laus ejus in ore meo.

Usus jurandi frequentior cur improbat.

X. At, jusjurandum licet bonum sit, ejus tamen frequens usus minime est laudabilis. Hujus autem

(a) Job. 1, 21. — (b) Ps. 49, 15. — (c) Ps. 35, 2.

discriminis ratio in eo posita est, quod jusjurandum ea tantum de causa institutum est ut esset tanquam remedium quoddam humanæ imbecillitatis et ad probandum quod dicimus, necessarium instrumentum.

Similitudo.

Ut enim corpori medicamenta adhibere non expedit, nisi necesse sit: eorundem vero frequentatio perniciosissima omnino est: ita etiam, nisi cum gravis et justa causa subest, jurejurando uti non est salutare: quod si sæpius adhibeatur, tantum abest ut prosit, ut magnum detrimentum afferat.

Jurandi consuetudo unde.

XI. Quamobrem præclare docet sanctus Chrysostomus, (a) non nascente, sed jam adulto mundo, cum mala longe lateque propagata universum terrarum orbem occupassent, nihilque suo loco et ordine consideret; sed perturbata et permixta omnia, sursum, deorsum, magna rerum confusione ferrentur: et quod malorum omnium gravissimum est, mortales fere omnes in fœdam idolorum servitutem seipsos abjecissent: tum denique longo sane intervallo jusjurandum in hominum consuetudinem irrepsisse: nam cum in tanta hominum perfidia et iniquitate, nemo facile ad credendum adduceretur, Deum testem invocabant.

Primus jurandi modus.

XII. Verum cum in hac præcepti parte præcipua sit illa ratio docendi fideles, quomodo jusjurandum pie sancteque adhibere debeant; primum dicendum est jurare nihil aliud esse, nisi Deum

(a) Ad populum Antioch. hom. 26.

testari, quacumque id verborum forma et conceptione fiat: nam et testis est mihi Deus, et per Deum, idem sunt.

Secundus jurandi modus.

XIII. Est etiam illud jusjurandum, cum ad faciendam fidem per res creatas juramus: ut, per sacra Dei Evangelia, per crucem, per sanctorum reliquias et nomen, et cætera id genus: neque enim hæc ipsa per se jurejurando auctoritatem aut robur aliquod asserunt, sed Deus ipse hoc præstat, cujus divinæ majestatis splendor illis in rebus elucescit. Ex quo sequitur, ut per Evangelium jurantes, per Deum ipsum jurent, cujus veritas Evangelio continetur et declaratur. Similiter et per sanctos qui templa Dei sunt, quique evangelicæ veritati crediderunt, eamque omni observantia coluerunt, et per gentes et nationes latissime disseminarunt.

Tertius jurandi modus.

XIV. Eadem ratio est illius jurisjurandi quod per execrationem profertur, quale est illud sancti Pauli: (a) Ego testem Deum invoco in animam meam; etenim hoc pacto aliquis Dei judicio tanquam mendacii ultori subjicitur. Neque propterea negamus nonnullas ex hisce formulis ita accipi posse, quasi jurisjurandi vim non habeant, sed tamen utile est, quæ de jurejurando dicta sunt, in his etiam servare, atque ad eamdem prorsus normam et regulam dirigere.

Duplex juramentum.

XV. *Assertorium.* — Duo autem sunt jurandi genera: primum quidem, quod assertorium appellatur; nimirum cum aliquid de re præsentis

(a) 2 Cor. 1, 23.

aut præterita religiose affirmamus, ut Apostolus in Epistola ad Galatas : (a) Ecce coram Deo, quia non mentior.

Promissorium. — Alterum vero promissorium dicitur, ad quod etiam comminationes referuntur, futurum tempus spectans, cum aliquid ita fore pro certo pollicemur et confirmamus : cujusmodi est illud Davidis, (b) qui Bethsabeæ conjugis jurans per Dominum Deum suum, promisit Salomonem ejus filium regni hæredem fore, atque in ipsius locum successurum.

Ad legitimum juramentum quot requisita.

XVI. Verum enim vero licet ad jusjurandum satis sit Deum testem adhibere : tamen ut rectum sanctumque sit multo plura requiruntur, quæ sunt diligentius explicanda ; ea vero breviter teste divo (c) Hieronymo, Jeremias enumerat, dum inquit : (d) Jurabis : Vivit Dominus in veritate, et in judicio, et in justitia. Quibus sane verbis illa breviter summatimque complexus est, quibus omnis jurisjurandi perfectio continetur, veritatem, inquam, judicium et justitiam.

Quid sit jurare in veritate asserenda.

XVII. Primum itaque in jurejurando locum veritas habet, nimirum ut, quod asseritur, et ipsum verum sit; et qui jurat, id ita esse arbitretur non quidem temere, aut levi conjectura adductus, sed certissimis argumentis.

Quid promittendo?

XVIII. Alterum vero jurisjurandi genus, quo aliquid promittimus, eodem plane modo veritatem requirit. Nam qui aliquid pollicetur, ita ani-

(a) Gal. 1, 20. — (b) 5 Reg. 1, 17. — (c) S. Hier. in hunc locum. — (d) Jer. 4, 2.

matus esse debet, ut cum tempus advenerit, ille reipsa præstet et promissum exsolvat : neque enim vir probus id unquam se facturum recipiet, quod sanctissimis Dei præceptis et voluntati adversari putet : sed quidquid promittere et jurare licuerit, id semel promissum nunquam mutabit : nisi fortasse commutata rerum conditione, tale esse incæperit, ut jam, si fidem servare et promissis stare velit, Dei odium et offensionem subiret. Veritatem autem jurejurando necessariam esse, David quoque indicat illis verbis : (a) Qui jurat proximo suo et non decipit.

Quid sit jurare in judicio?

XIX. Sequitur secundo loco judicium : neque enim jusjurandum temere et inconsiderate, sed consulto et cogitato adhiberi debet. Itaque juraturus primum quidem consideret, utrum necessitate cogatur, necne, remque totam accurate expendat, an ejusmodi sit, ut jurejurando indigere videatur. Tempus præterea spectet, locum attendat, aliaque permulta quæ rebus adjuncta sunt, circumspiciat, non odio, non amore, aut animi perturbatione aliqua impellatur ; sed ipsius rei vi et necessitate.

Juramentum temerarium quid?

XX. Etenim, nisi hæc consideratio et diligens animadversio antecesserit sane jusjurandum præceptis et temerarium erit : cujusmodi et illorum irreligiosa affirmatio, qui in re levissima et inani, nulla ratione aut consilio, sed prava quadam consuetudine jurant.

Nota et argue. Id vero passim quotidie a venditoribus et emptoribus fieri videmus : nam illi,

(a) Ps. 14, 4.

ut quam plurimo vendant, hi rursus, ut quam minimo emant, res venales, vel laudare, vel vituperare jurejurando non dubitant.

Nota. Cum itaque judicio et prudentia opus sit, pueri vero ita acute perspicere ac distinguere nondum per ætatem possint : ideo constitutum est a sancto Cornelio Pontifice ne a pueris ante pubertatem, hoc est, ante decimum quartum annum jusjurandum exigatur. 22 q. 3, c. *Honestum et c. Pueri.*

Quid sit jurare in justitia.

XXI. Reliqua est justitia, quæ maxime in promissis requiritur, quare si quis injustum aliquid et inhonestum promittit, et jurando peccat, et promissis faciendis scelus scelere cumulat. Exstat hujus rei in Evangelio exemplum (a) Herodis regis, qui temerario jurejurando obstrictus, puellæ saltatrici caput Joannis Baptistæ, tanquam salutationis præmium dedit. Tale etiam fuit Judæorum jusjurandum, (b) qui se ipsos, ut est in Actis Apostolorum, e a conditione devoverunt nihil gustaturos, donec Paulum occidissent.

Quanto et quomodo jurare licitum sit.

XXII. His ita explicatis nulla plane dubitatio relinquitur, quin illi tuto jurare liceat, qui hæc omnia servaverit, quique hisce conditionibus, tanquam præsidii quibusdam jusjurandum munierit.

Probat.

Primo. — Sed et multis argumentis id probare facile est; nam lex Domini, (c) quæ immaculata est, et sancta, hoc præcepit : (d) Dominum, in-

(a) Marc. 6, 23. — (b) Act. 23, 12. — (c) Ps. 18, 8. — (d) Deut. 6, 15.

quit, Deum tuum timebis et illi soli servies : ac per nomen illius jurabis.

Secundo. — Et a Davide scriptum est : (a) Laudabuntur omnes qui jurant in eo.

Tertio. — Præterea sacræ Litteræ indicant, ipsa Ecclesiæ lumina, sanctissimos Apostolos jurejurando nonnunquam usos esse ; idque ex Apostoli Epistolis (b) apparet.

Quarto. — Adde, quod et Angeli ipsi interdum jurant, nam a sancto Joanne Evangelista in Apocalypsi scriptum est : (c) Angelum jurasse per Viventem in sæcula.

Quinto. — Quin etiam et Deus ipse jurat, Angelorum Dominus : et in Veteri Testamento multis in locis Deus promissiones suas jurejurando confirmat, ut (d) Abraham et Davidi, qui illud de Dei jurejurando prodidit : (e) Juravit, inquit, Dominus et non penitebit eum : Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

Sexto, ratione. — Neque vero obscura est ratio ad explicandum, cur jusjurandum laudabile sit, si quis attentius totam rem consideret et ipsius ortum finemque intueatur. Etenim jusjurandum a fide originem ducit, qua homines credunt Deum totius veritatis esse auctorem, qui nec decipi unquam possit, nec alios decipere; cujus (f) oculis nuda sunt omnia et aperta, qui denique universis rebus humanis admirabili providentia consulit, mundumque administrat. Hac igitur fide homines imbuti, Deum veritatis testem adhibent, cui fidem non habere impium ac nefarium erit.

Jurisjurandi finis et scopus.

XXIII. Quod vero ad finem attingit, eo tendit

(a) Ps. 62, 12. — (b) 2 Cor. 1, 23. Philipp. 1, 8. 1 Thesal. 2, 10. — (c) Apoc. 10, 6. — (d) Heb. 6, 17. Genes. 22, 16. Exod. 33, 1. — (e) Ps. 109, 4. — (f) Heb. 4, 13.

jusjurandum, atque id omnino spectat, ut hominis justitiam et innocentiam probet, finemque libris et controversiis imponat; quod etiam Apostolus in Epistola ad (a) Hebræos docet.

Objectio.

Neque hinc sententiæ verba illa Salvatoris nostri apud sanctum Matthæum repugnant: (b) Audistis, quia dictum est antiquis: Non perjurabis; reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per cælum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum ejus; neque per Hierosolymam, quia civitas est magni regis; neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere aut nigrum: sit autem sermo vester: est, est; non, non; quod autem his abundatus est, a malo est.

Eadem solvitur.

His enim verbis jusjurandum generatim universaque damnari non est dicendum, cum jam supra viderimus Dominum ipsum, Apostolosque frequenter jurasse: sed perversum Judæorum judicium redarguere Dominus voluit, quo sibi in animum induxerant, nihil in jurejurando cavendum esse, præter mendacium; itaque de rebus levissimis et nullius momenti, et ipsi jurabant sæpissime, et ab aliis jusjurandum exigebant. Hunc morem Salvator reprehendit atque improbat, docetque omnino a jurejurando abstinendum esse, nisi id flagitet necessitas.

Ad quid institutum juramentum.

XXIV. Nam propter humanam imbecillitatem jusjurandum institutum est, et revera a malo

(a) Heb. 6, 16. — (b) Matth. 5, 33, et seq.

provenit; quandoquidem aut jurantis inconstantiam indicat, aut illius, cujus causa juramus, contumaciam, qui ut credat aliter adduci non potest.

Nota. Sed tamen jurandi necessitas excusationem habet.

Explicatur locus Evangelii.

XXV. Et quidem, dum inquit Salvator: (a) Sit sermo vester: est, est; non, non; hac loquendi formula satis declarat, se jurandi consuetudinem in colloquiis familiarum et levium rerum prohibere: quamobrem illud præcipue a Domino admonemur, ne faciles nimium et propensi ad jurandum simus: idque sedulo docendum erit et fidelium auribus inculcandum: infinita enim fere mala ex nimia jurandi consuetudine emanare, et sacrarum Litterarum auctoritate, et sanctissimorum Patrum testimoniis comprobatur. In Ecclesiastico scriptum est: (b) Jurationi non assuescat os tuum; multi enim casus in illa. Item: (c) Vir multum jurans implebitur iniquitate, et non discedet a domo illius plaga. Plura hac de re legi possunt apud sanctos Basilium et Augustinum in libris contra mendacium. Et hactenus de jussis, non de vetitis dicatur. *Basil. in Psalm. 14, ad hæc verba: Qui jurat proximo suo; et Aug. lib. de Mendac. c. 14. vide 12. q. 2, c. Primum est.*

Jurare temere grande malum.

XXVI. Vetatur divinum nomen in vanum assumere; apparet enim eum gravi peccato se obstringere, qui non consilio, sed temeritate ad jurandum fertur. Gravissimum autem delictum hoc esse, illa etiam verba declarant: Non assumes nomen Dei tui in vanum; quasi rationem afferret cur hoc facinus scelestum adeo ac nefa-

(a) Matth. 5, 32. — (b) Eccl. 25, 9. — (c) Ibid. 12.

rium sit; nimirum propterea quod ejus majestas minuitur, quem nos Deum et Dominum nostrum esse profiteremur.

Falsum jurans, quantam Deo faciat injuriam.

XXVII. Hoc igitur præcepto prohibetur ne homines falsum jurent; nam qui a tanto scelere non refugit, ut Deum falso testetur, hic insignem Deo injuriam facit, quippe qui aut illi inscitiae notam inurit, dum ipsum alicujus rei veritatem latere arbitratur, aut certe improbitatis et pravi affectus, qui mendacium testimonio velit confirmare.

Peccatur hic.

XXVIII. *Primo.* — Jurat autem falso non is solum qui quod falsum scit, verum esse jurando affirmat. *Vide Aug. de Verbis Apost. serm. 28 et cit. 21, q. 2, c. Homines.*

Secundo. — Sed ille etiam qui jurejurando id assertit, quod cum verum sit, tamen ipse falsum putat.

Quid sit mendacium.

Nam cum mendacium ea re mendacium sit quod contra mentem et animi sententiam profertur; perspicuum est, hunc plane mentiri et perjurum esse.

Tertio. — Simili quoque ratione pejerat qui id jurat quod verum existimat et tamen revera falsum est; nisi, quantum potuit, curam et diligentiam adhibuerit ut totam rem compertam atque exploratam haberet: quamvis enim ipsius orationi menti consentiat, tamen hujus præcepti reus est.

Quarto. — Ejusdem vero peccati reus censendus est, qui se aliquid jurejurando facturum promittit, cum tamen aut promissum implere in animo non fuerit: aut, si fuit, quod promisit, reipsa non præstat.

Nota. Quod etiam ad eos pertinet, qui cum se voti sponsione Deo obligarunt, non præstant.

Quinto. — Præterea in hoc præceptum peccatur, si desit justitia, quæ ex tribus jurisjurandi comitibus una est. Itaque si quis juret se peccatum aliquid mortiferum commissurum, exempli causa, cædem hominis, hujus præcepti reus est, licet ille serio atque ex animo dicat et jurisjurandum veritatem habeat, quam primo loco requiri declaravimus.

Sexto. — His adjungi debent illa jurandi genera, quæ a contemptu quodam proficiscuntur, cum quis jurat se non obtemperaturum evangelicis conciliis: cuiusmodi sunt quæ ad celibatum et paupertatem hortantur; quamvis enim nemo ea necessario sequi debeat, si quis tamen juret nolle se illis parere conciliis, is eo jurejurando divina consilia contemnit et violat.

Septimo. — Præterea, hanc legem is violat et iudicio peccat qui quod verum est, jurat, idque ita se habere existimat, levibus quibusdam conjecturis adductus et longe petitis: nam etsi hujusmodi jurisjurandum veritas committatur, subest tamen aliquo modo falsum; nam qui sic negligenter jurat, in magno pejerandi periculo versatur.

Octavo. — Falso præterea jurat, qui per falsos deos jurat: quid enim est a veritate alienius quam mendaces et fictitios deos tquam verum Deum testari? *Vide August. Epist. 54.*

Nono. — Verum quoniam Scriptura, cum perjurium interdixit inquit: (a) Nec pollues nomen Dei tui; neglecto prohibetur, quæ fugienda est in reliquis, quibus ex hujus præcepti auctoritate honor debetur, quale est verbum Dei, cujus ma-

(a) Lev. 19, 12.

jestatem non solum pii, sed interdum etiam impij, reverentur, ut in Judicum historia de (a) Eglon Moabitarum rege memoriæ traditum est. Dei autem verbum summa injuria afficit, quicumque sacram Scripturam a recta et germana ejus sententia ad impiorum dogmata et hæreses flectit; cujus sceleris admonet nos princeps Apostolorum verbis illis: (b) Sunt quædam difficilia intellectu, quæ inducti et instabiles depravant, sicut et cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.

Decimo. — Præterea fœdis et inhonestis maculis sacra Scriptura contaminatur; cum ejus verba et sententias, quæ omni veneratione colenda sunt, ad profana quæque nefarii homines torquent, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, assentationes, detractiones, sortes, libellos famosos, et si qua sunt alia id genus; in quod peccatum sacra Tridentina synodus (c) animadverti jubet.

Undecimo. — Deinde ut ii Deum honorant qui ejus opem atque auxilium in suis calamitatibus implorant, ita debitum Deo honorem is negat, qui illius subsidium non invocat: quos redarguit David cum inquit: (d) Deum non invocaverunt: illie trepidaverunt timore, ubi non erat timor.

Duodecimo. — At vero longe magis detestabili scelere se ipsos adstringunt, qui sacrosanctum Dei nomen, ab omnibus creaturis benedicendum et summis laudibus extollendum, aut etiã sanctorum nomen cum Deo regnantium, impuro et contaminato ore blasphemare atque execrari audent.

Nota. Quod quidem peccatum usque adeo atrox atque immane est, ut interdum sacræ Litteræ, si

(c) Jud. 3, 20. — (b) 2 Pet. 3, 16. — (c) Sess. 4, in fine, (d) Ps. 15, 5, et 52, 6.

de blasphemia sermo incidat, (a) benedictionis nomine utantur.

Appendix ad secundum præceptum.

XXIX. Quoniam vero pœnæ et supplicii terror peccandi licentiam vehementer coercere solet: ideo parochus, ut hominum animos magis permoveat atque ad hoc præceptum servandum facilius impellat, alteram illius partem et quasi appendicem diligenter explicabit: (b) *Nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra.*

Cur minæ huic præcepto subjiciantur.

XXX. Ac primum quidem doceat, summa ratione factum esse, ut huic præcepto minæ adjungerentur: quo quidem et peccati gravitas et in nos Dei benignitas agnoscitur, qui cum hominum perditione non delectetur, ne ipsius iram et offensionem subeamus, hisce salutaribus minis nos deterret, nimirum ut illum benevolam potius, quam iratum experiamur.

Pastoribus quid agendum.

XXXI. *Primo.* — Urgeat hunc locum pastor, instetque summo studio, ut populus sceleris gravitatem agnoscat et illud detestetur vehementius, et in eo evitatum majorem diligentiam et cautionem adhibeat.

Secundo. — Ostendat præterea, quanta sit hominum proclivitas ad hoc peccatum committendum, ut non satis fuerit legem ferre, nisi etiam minæ adderentur. Incredibile enim est quantum hæc cogitatio utilitatis habeat.

Nam ut nihil æque nocet atque incauta quædam

(a) Reg. 21, 23. Job. 1, 11, et 2, 9. — (b) Exod. 20, 7.

animi securitas, ita propriæ imbecillitatis cognitio plurimum prodest.

Tertio. — Tum illud etiam declaret nullum a Deo certum supplicium constitutum fuisse, sed tantum universe minari, quicumque se hoc scelere adstrinxerit, non impune laturum.

Quæ mala pariat secundi præcepti transgressio.

XXXII. Quapropter diversa supplicia, quibus quotidie affligimur, hujus peccati admonere nos debent. Hinc enim facile licet conjicere, homines ea re maximas in calamitates incidere, quod huic præcepto non obtemperent, quibus sibi propositis, cautiore eos in posterum fore verisimile est. Fideles itaque sancto timore perterriti, omni studio peccatum hoc fugiant. Nam si (a) omnis verbi otiosi in extremo judicio reddenda ratio est, quid de gravissimis sceleribus dicendum, quæ magnam divini nominis despicientiam præ se ferunt?

DE TERTIO PRÆCEPTO DECALOGI.

MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES.

SEX DIEBUS OPERABERIS ET FACIES OMNIA OPERA TUA.

SEPTIMA AUTEM DIE SABBATUM DOMINI DEI TUI EST. NON FACIES OMNE OPUS IN EO, TU, ET FILIUS TUUS ET FILIA TUA, ET SERVUS TUUS ET ANCIILLA TUA, JUMENTUM TUUM ET ADVENA QUI EST INTRA PORTAS TUAS. SEX ENIM DIEBUS FECIT DOMINUS CÆLUM ET TERRAM, MARE ET OMNIA QUÆ IN EIS SUNT, ET REQUIEVIT IN DIE SEPTIMO; IDEIRCO BENEDIXIT DOMINUS DIEI SABBATI ET SANCTIFICAVIT EUM.

Quid præcipiatur in hoc tertio præcepto.

I. Hoc legis præcepto externus ille cultus qui

(a) Matth. 12, 56.

Deo a nobis debetur, recte atque ordine præscribitur: est enim hic veluti quidam prioris præcepti fructus; quoniam quem intimis sensibus pie colimus; fide et spe adducti, quam in eo positam habemus, non possumus eum non externo cultu venerari, eidemque gratias agere. *Vide Trident. decret. de Ciborum delectu et Festis diebus, sess. ultim. sub. finem. Item Div. Thom. 2, 2, q. 122, art. 4, item de Consecrat. dist. 3, multis capitibus.*

Deus quam indulgens.

II. Et quoniam hæc ab iis qui humanarum rerum occupationibus detinentur, non facile præstari possunt: certum tempus statutum est quo ea commode effici queant.

Magni refert hoc præceptum explicari sæpius.

III. Itaque cum hoc præceptum ejusmodi sit, ut fructum utilitatemque admirabilem afferat: maxime interest parochi summam in eo explicando diligentiam adhiberi: ad ejus autem inflammandum studium magnam vim habet primum illud præcepti verbum, *Memento*: nam quemadmodum fideles tale præceptum meminisse debent; sic pastoris est in eorum memoriam illud et monendo et docendo sæpe redigere.

Hoc præceptum colere quam utile.

IV. Quantum verò fidelium referat, hoc præceptum colere, ex eo percipitur, quod eo diligenter colendo ad reliqua legis jussa servanda facilius adducuntur.

Festis ad ecclesiam cur veniendum.

V. Cum enim inter cætera quæ diebus festis præstare debent, necesse habeant, verbi Dei au-

diendi causa, ad ecclesiam convenire; cum edocti fuerint divinas justificationes, illud etiam consequentur, ut ex toto corde custodiant legem Domini: quamobrem sæpissime sabbati celebritas cultusque præcipitur in sacris Litteris, ut in (a) Exodo, (b) Levitico, (c) Deuteronomio: apud (d) Isaiam, (e) Jeremiam, item et (f) Ezechielem prophetas videre licet: quibus omnibus in locis hoc de sabbati cultu traditum est præceptum. De Præd. verbi Dei vid. Trident. sess. 5, c. 2. Vide et singularem hac de re libellum sancti Caroli Borrom. in Actis Eccles. Mediolan. Vide etiam Acta Eccl. Bononiens.

Magistratum est cultum divinum promovere.

VI. Monendi vero et hortandi sunt principes, et magistratus, ut in iis maxime, quæ ad hunc cultum Dei retinendum atque augendum pertinent Ecclesie præsidēs auctoritate sua juvent jubeantque populum sacerdotum præceptis obtemperare.

Modus explicandi hoc præceptum.

VII. Quod autem ad hujus præcepti explanationem attinet, danda opera est ut fideles doceantur, quibus rebus hoc præceptum cum cæteris conveniat, quibusve differat ab eis; hoc enim pacto causam illi rationemque cognoscent, quare non sabbatum, sed diem dominicum colamus, sanctumque habeamus.

Hoc præceptum a cæteris novem discrepat.

VIII. Certa igitur illa differentia videtur, quod reliqua Decalogi præcepta naturalia sunt et per-

(a) Exod. 16, 23, 30. — (b) Lev. 16, 19, 23, 26. — (c) Deut. 5, 16, 20. — (d) Isa. 56, 58, 66. — (e) Jerem. 67. — (f) Ezechiel. 22, 23; 25, 40.

petua, neque mutari ulla ratione possunt; quo factum est, ut, quamvis lex Moysis abrogata sit, omnia tamen præcepta, quæ duabus tabulis continentur, populus christianus servet.

Nota. Quod ideo fit, non quia Moyses ita jussit, sed quod naturæ conveniunt, cujus vi homines ad illa servanda impelluntur.

Hoc præceptum quoad tempus ceremoniale est.

IX. Hoc autem de sabbati cultu præceptum, si statutum tempus spectatur, non fixum et constans est; sed mutabile: neque ad mores, sed ad ceremonias pertinet: neque naturale, quoniam non a natura ad id docti aut instituti sumus, ut illo die potius, quam alio externum cultum Deo tribuamus; sed ex eo tempore quo populus Israeliticus a Pharaonis est servitute liberatus, diem sabbati coluit.

Cur et quando dies sabbati mutari debuit in dominicum.

X. Tempus autem quo sabbati cultus tollendus erat, illud idem est, quo cæteri Hebraici cultus ceremoniæque antiquandæ erant, morte scilicet Christi: nam cum illa ceremoniæ sint quasi adumbratæ imagines lucis et veritatis, illud utique necesse erat, ut lucis ac veritatis, quæ Jesus Christus est, adventu removerentur; qua de re sanctus Paulus ad Galatas ita scripsit cum Mosaicis ritus cultores reprehenderet: (a) Dies observatis et menses, et tempora, et annos: timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vobis. In quam etiam sententiam scripsit ad (b) Colossenses. Et hæc de differentia.

(a) Galat. 4, 10. — (b) Col. 2, 16.

Hoc præceptum in quo convenit cum cæteris.

XI. Convenit autem hoc præceptum cum reliquis, non ritu et cæremoniis, sed quia aliquid habet, quod ad mores naturæque jus attineat. Nam Dei cultus ac religio, quæ hoc præcepto exprimitur, a naturæ jure existit: cum illud natura comparatum sit, ut aliquot horas in iis quæ ad Dei cultum pertinent, versemur, cujus rei argumentum est quod apud omnes nationes, statas quasdam ferias, easque publicas fuisse cernimus, quæ sacris rebus ac divinis obeundis erant consecrata: est enim naturale homini, ut iis certum quoddam tempus necessariis rerum functionibus det, veluti corporis quieti, somno, et aliis ejusmodi rebus.

Nota hanc similitudinem.

Et quemadmodum corpori, ita eadem natura ratione factum est, ut menti aliquid etiam temporis concederet, quo in Dei contemplatione se reliceret, atque ita cum aliqua temporis pars esse debeat, quo res divinæ colantur, cultusque Deo debitus tribuatur, hoc sane ad morum præcepta pertinet.

Dies sabbati cur mutatus in dominicum.

XII. Quam ob causam Apostoli ex illis septem diebus eum, qui primus est, ad divinum cultum consecrare statuerunt, quem dominicum diem dixere: nam et sanctus Joannes, in Apocalypsi, (a) Dominici diei meminit: et Apostolus (b) per unam sabbatorum, quæ est dies dominicus, ut sanctus Chrysostomus interpretatur, collectas fieri jubet, ut intelligamus jam tum in Ecclesia diem

(a) Apoc. 1, 10. — (b) 1 Cor. 16, 2.

dominicum sanctum habitum esse. *Chrys. hom. 15. in Corinth. Ambr. item et Theophylact. Vide etiam Can. Apost. c. 67. Ignat. Epist. ad Magn. Just. Apoc. 2 Tertull. in Apol. c. 16, et de Coron. milit. c. 5, et de Idol. c. 14, et Cypr. Epist. 53. Clement. Alex. lib. 5. Strom. satis ante ßnem. Orig. homil. 7. in Exod.*

Quatuor hujus præcepti partes.

XIII. Jam vero ut sciant fideles, quid eo die agere, a quibusve actionibus abstinere debeant: non alienum est, ut parochus totum præceptum, quod in quatuor partes recte distribui potest, ad verbum diligenter interpretetur.

Verba quid doceant.

XIV. Itaque primum generatim proponant, quid iis verbis prescribatur: *Memento ut diem sabbati sanctifices.* Ob eam vero causam initio præcepti verbum illud: *Memento*, apposite additum est, quod hujus diei cultus ad cæremonias pertineat.

Primo. — Qua de re populus admonendus esse videbatur, cum natura lex, etsi aliquo tempore Deum religionis ritu colendum esse doceat, hoc tamen, quo potissimum die fieri deberet, non præscripsit.

Secundo. — Præterea fideles docendi sunt ex iis verbis modum et rationem colligi posse, qua in tota hebdomada opus facere conveniat, ita scilicet, ut diem festum semper spectemus, quo die cum actionum et operum nostrorum Deo quasi reddenda ratio sit, ejusmodi opera efficiamus necesse est, quæ neque Dei iudicio repudientur, neque nobis, ut scriptum est, (a) in singulum sint et in scrupulum cordis.

Tertio. — Postremo id docemur, quod certe

(a) 1 Reg. 23 51.

animadvertere debemus, non defuturas scilicet occasiones quamobrem nos hujus præcepti capiat oblivio, vel aliorum, qui illud negligunt, exemplo adductos, vel spectaculorum, ludorumque studio, quibus plerumque ab hujus diei sancto religiosoque cultu abducimur.

Quid sit sabbatum.

XV. Sed jam ad id veniamus quod sabbati significatione demonstratur; sabbatum, Hebraicum nomen, si latine interpretaris, cessatio dicitur; sabbatizare propterea cessare, et requiescere Latino vocabulo appellatur. Qua significatione factum est, ut sabbati nomine dies septimus diceretur, quoniam absoluta perfectaque mundi universitate, Deus (a) ab omni opere quod fecerat, requievit: ita hunc diem in Exodo Dominus vocat.

Nota. Postea vero non solum septimus hic dies, sed ob ejus dignitatem ipsa etiam hebdomada eo nomine appellata est, in quem sensum Pharisæus apud sanctum Lucam dixit: (b) *Jejuno bis in sabbato.* Atque hoc quidem de sabbati significatione.

Sanctificare quid sit.

XVI. Sanctificatio autem sabbati sacris in Litteris cessatio est, quæ fit a corporis laboribus et a negotiis, ut aperte ostendunt hæc, quæ sequuntur, præcepti verba: *Non operaberis*; neque vero id solum significat (aliter enim satis fuisset dicere in Deuteronomio: (c) *Observa diem sabbati*); sed cum in eodem loco addatur, *ut sanctifices eum*, hoc verbo ostenditur sabbati diem religiosum

(a) Gen. 2, 5. Exod. 20, 21. Deuter. 5, 14. — (b) Luc. 18, 12. — (c) Deut. 5, 12.

esse, divinisque actionibus et sanctis rerum officiis consecratum.

Vera sabbati sanctificatio.

XVII. Itaque diem sabbati tum plene et perfecte celebramus, cum pietatis et religionis officia Deo præstamus: hocque plane sabbatum est, quod Isaias (a) *delicatum* appellat: quoniam festi dies sunt veluti delicie Domini et piorum hominum. Quare si religioso huic sanctoque sabbati cultui (b) misericordie adjunguntur opera, certe maxima sunt et multa præmia, quæ eodem capite nobis proponuntur.

Quis sit verus hujus præcepti sensus.

XVIII. Itaque verus ac proprius hujus præcepti sensus eo spectat, ut homo et animo et corpore in eam curam incumbat, ut statuto aliquo tempore, a negotiis, corporisque laboribus feriat, Deum pie colat ac veneretur.

Secunda præcepti pars quid præcipit.

XIX. Altera vero præcepti parte demonstratur diem septimum Dei cultui divinitus dicatum esse; nam ita scriptum est: *Sex diebus operabere et facies omnia operatua, septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est*; quæ verba ad eam sententiam referuntur, ut sabbatum Domino consecratum interpretetur, eique eo die religionis officia tribuamus, septimumque diem intelligamus signum esse quietis Domini.

Cur hic dies Deo adductus.

XX. Hic vero dies divino cultui dicatus est, in rudi populo minus expediebat habere eam

(a) Isa. 58, 15. — (b) Isa. 58, 6.

facultatem temporis arbitrato suo deligendi, ne forte Ægyptiorum sacra imitaretur.

Diem unum cur elegit Deus.

XXI. Itaque e septem diebus, ultimus ad eum colendum delectus est; quæ quidem res plena mysterii est. Quare Dominus in (a) Exodo, et apud (b) Ezechielem signum vocat: Videte itaque, ille inquit, ut sabbatum meum custodiatis.

Prima ratio. — Quia signum est inter me et vos in generationibus vestris, ut sciatis quia ego Dominus, qui sanctifico vos. Itaque signum fuit, quod indicabat homines Deo se dedicare oportere, sanctosque eidem præbere, cum diem etiam videamus ei dicatum esse: Siquidem ille dies sanctus est, quod tum præcipue sanctitatem et religionem homines colere debeant.

Secunda. — Deinde signum est et quasi monumentum conditæ hujus admirandæ universitatis.

Tertia. — Signum præterea fuit Israelitarum memoriæ traditum, quo admoniti se Dei auxilio a durissimo Ægyptiacæ servitutis jugo solutos ac liberatos esse meminissent; id quod Dominus ostendit illis verbis: (c) Memento quod et ipse servieris in Ægypto, et eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti et brachio extento, idcirco præcepit tibi ut observares diem sabbati.

Est signum item tum spirituales, tum cælestis sabbati.

Spirituale sabbatum quid?

XXII. Spirituale autem sabbatum in sancta quadam et mystica quiete consistit: nimirum, cum vetus homo Christo consepultus, ad vitam renovatur, atque in iis actionibus quæ christianæ

(a) Exod. 31, 15. — (b) Ezech. 20, 12. — (c) Deut. 5, 15.

pietati conveniunt; studiose se exercet: debent enim, qui (a) aliquando erant tenebræ, nunc autem lux in Domino sunt, ut filii lucis ambulare in omni bonitate, justitia et veritate, neque communicare operibus infructuosis tenebrarum.

Cæleste sabbatum quid?

XXIII. Cæleste vero sabbatum est (ut ait divus Cyrillus (b) eum locum Apostoli tractans: (c) Relinquitur ergo sabbatismus populo Dei) illa vita, in qua omnibus bonis cum Christo viventes fruimur, peccato radicitus extirpato; secundum illud: (d) Non erit ibi leo, nec mala bestia illuc ascendet, sed erit ibi via pura, et sancta vocabitur: omnia enim bona in visione Dei mens sanctorum adipiscitur. Quare fideles hortandi erunt his verbis et a pastore incitandi: (e) Festinemus ingredi in illam requiem.

Præter sabbata erant Judæis alia festa.

XXIV. Præter diem septimum habebat populus Judæus alios etiam festos et sacros dies divina lege constitutos, quibus maximorum beneficiorum memoria renovaretur. *De his aliis festis vide Leviticum 25. Num. 29. Deut. 16, et si vis habere moralem intelligentiam festorum hujusmodi, vide Cyrillum de Adoratione in spiritu et veritate, lib. 17. Divi Thom. 1, 2, quæst. 102, art. 4, ad 10,*

Sabbatum cur mutatum.

XXV. Placuit autem Ecclesie Dei, ut dici sabbati cultus et celebritas in dominicum transferretur diem.

Prima ratio. — Nam ut eo die primum lux orbi terrarum illuxit, sic Redemptoris nostri, qui ad

(a) Eph. 5, 8. — (b) S. Cyril. Alex. lib. 4. in Joan. c. 5. — (c) Heb. 4, 19. — (d) Isa. 55, 9. — (e) Heb. 4, 11.

vitam æternam nobis aditum patefecit, resurrectione, quæ eo die fuit, e tenebris ad lucem vita nostra revocata est: unde et dominicum diem Apostoli dici voluerunt.

Secunda ratio. — Solemnem præterea hunc diem esse in sacris Litteris animadvertimus, quod eo die mundi creatio initium habuit, quod Spiritus sanctus Apostolis datus sit.

Cur alia festa instituta.

XXVI. Alios autem dies festos ab Ecclesiæ initio, et consequentibus deinde temporibus, Apostoli et sancti Patres nostri instituerunt, ut pie et sancte Dei beneficiorum memoriam coleremus.

Ordo festorum.

XXVII. Inter eos autem celeberrimi habentur illi dies, qui ob redemptionis nostræ mysteria religioni consecrati sunt; deinde qui sanctissimæ Virgini matri, tum vero Apostolis, ac martyribus cæterisque sanctis cum Christo regnantibus dicantur, in quorum victoria Dei bonitas et potentia laudatur, ipsis debiti honores tribuuntur, atque ad eorum imitationem fidelis populus incitatur.

Otium prohibetur.

XXVIII. Et quoniam ad hoc præceptum servandum, magnam vim ea ipsius pars habet, quæ illis verbis expressa est: Sex diebus operaberis, septimus autem dies sabbatum Dei est, parochus debet illam partem diligenter explicare. Etenim ex his verbis colligi potest, fideles hortandos esse ne otiosi et desides vitam traducant; sed potius apostolicæ vocis memores, (a) negotium suum

(a) 1 Thess. 4, 11. 9. 10. 12. (b) — 2. 1. 1. 1. 1.

quisque agat et operetur manibus suis, sicut ab eo præceptum fuerat.

Nihil servile in dominicum remittendum.

XXIX. Præterea hoc præcepto illud Dominus jubet ut sex ipsis diebus opera nostra efficiamus, ne aliquid eorum quæ aliis hebdomadæ diebus fieri agive oporteat in diem festum rejiciatur, atque ita animus a rerum divinarum cura studioque avocetur.

Tertia præcepti pars quid prohibeat.

XXX. Tertia deinde præcepti pars explicanda est, quæ quodam modo describit, qua ratione sabbati diem colere debeamus: præcipue autem explicat quid illo die facere prohibemur. Quare, inquit Dominus, non facies omne opus in eo, tu et filius tuus, et filia tua, servus tuus et ancilla tua, jumentum tuum, et advena qui est intra portas tuas:

Quidquid mentem a Dei cultu abstrahit, vetatur.

XXXI. Quibus verbis ad id primum instituitur, ut quæcumque divinum cultum impedire possunt, omnino vitentur: facile enim perspicitur, omne servilis operis genus prohiberi, non quidem ea re, quod sua natura aut turpe, aut malum sit; sed quoniam mentem nostram a divino cultu, qui finis præcepti est, abstrahit.

Nota et doce.

Quo magis peccata a fidelibus vitanda sunt, quæ non solum animum a divinarum rerum studio avocant, sed nos a Dei amore prorsus sejungunt. Vide Aug. tract. 5 in Joan. et in Ps. 51 serm. 1 et lib. de decem chordis, c. 5.

Quæ opera non vetantur die festo.

XXXII. *Prima species.* — Non tamen eæ actiones neque ea opera vetantur quæ ad divinum cultum attinent, etiamsi servilia sint, ut altare instruere, templum alicujus festi diei causa ornare, et reliqua hujus generis; ideoque a Domino dictum est: (a) Sacerdotes in templo sabbatum violare, et sine crimine esse.

Alterâ species. — Sed neque earum rerum opera hac lege prohiberi existimandum est, quorum jactura facienda sit, si die festo præmittantur quemadmodum sacris etiam canonibus permisum est.

Tertiâ species. — Multa alia Dominus in Evangelio festis diebus fieri posse declaravit, quæ facile parochus apud sanctos Matthæum et Joannem observabit.

Nec jumenta labori applicanda sunt die festo.

XXXIII. Sed ut nulla res præmitteretur ejus actione hic sabbati cultus impediretur, facta est jumentis mentio: quo animalium genere impediuntur homines, quominus sabbati diem colant. Si enim die sabbati alicujus operis actioni jumentis usus destinatur, necessaria est etiam ad id hominis opera qui jumentum agat. Itaque solum per se opus facere non potest, sed hominem qui illud molitur, adjuvat: eo autem die nemini opus facere licet; ergo neque jumentis quorum opera ad id homines utuntur.

Nec servis præcipienda sunt servilia die festo.

XXXIV. Itaque hujus præcepti lex eo etiam spectat, ut, si jumentorum laboribus homines

(a) Matth. 12, 5.

parcere Deus vult, eo certe magis ipsi cavere debeant, ne inhumani sint in eos quorum opera atque industria utuntur.

Agenda diebus festis.

XXXV. Neque vero parochus illud præmittere debet, ut diligenter doceat, quibus in operibus atque actionibus christiani homines diebus festis exercere se debeant.

Missæ interesse.

Illæ vero ejusmodi sunt, ut ad Dei templum accedamus, eoque loco sincera piaeque animi attentione sacrosancto missæ sacrificio intersimus. *Conc. Agath. c. 47. Aurel. c. 8. Tribur. c. 53. Vide de Cons. dist. 1, c. Missas et cum ad celebrandas, et omnes fideles.*

Sacramenta frequentare.

Divina Ecclesiæ sacramenta, quæ ad salutem nostram instituta sunt, ad animæ vulnerum curationem crebro adhibeamus. *Aug. de Eccl. dogm. c. 53, et citatur de Cons. dist. 2, c. Quotid.*

Pœccata confiteri.

Nihil vero est, quod opportunius aut melius christianis hominibus fieri possit, quam si peccata sua sacerdotibus sæpe confiteantur, ad quam rem perficiendam poterit parochus populum adhortari, sumpta hujus probandæ rei ratione, et copia ex iis quæ de pœnitentiæ sacramento suo loco tradita ac præcepta sunt.

Eucharistiam percipere.

Neque solum ad hoc sacramentum populum excitabit, sed sedulo etiam atque ad illud exhortabitur, ut sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum crebro percipiant.

Conciones audire.

Attente præterea, diligenterque sacra concio a fidelibus audienda est: nihil enim minus ferendum est, neque tam profecto indignum quam Christi verba contemnere aut negligenter audire. *Justin. Apolog. 2, et ex Actis Apostolorum, c. 20. Aug. lib. 50. Hom. 26, et cit. 1. q. 1. c. Interroga.*

Orare Deum et laudare.

Exercitatio item atque studium fidelium in precibus divinisque laudibus frequens esse debet.

Catechismis interesse.

Præcipuaque ejusdem cura, ut quæ ad christianæ vitæ institutionem pertinent, ea diligenter addiscat.

Opera misericordiæ exercere.

Seduloque se exercent in iis officiis quæ pietatem continent, pauperibus et egenis elemosynam tribuendo, ægros homines visitando, morientes quique dolore afflicti jacent pie consolando; nam ut est apud sanctum Iacobum: (a) Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem, hæc est, visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum. *Sic faciebant veteres christiani, test. Justin. Apol. 2. Tertull. in Apol. et in lib. ad Martyres, et lib. 2 ad uxorem, prope finem.*

Quarta præcepti pars.

XXXVI. Ex his, quæ dicta sunt, facile erit colligere quæ contra hujus præcepti regulam committuntur.

Quam justum sit observare festa ostendendum.

XXXVII. Parochi verò officium in eo item esse

(a) Jac. 1, 27.

debet, ut certos quosdam locos in promptu habeat, unde rationes atque argumentaumat, quibus populo illud maxime persuadetur, hujus præcepti legem summo studio accurataque diligentia servet: ad hoc plurimum valet, ut populus scilicet intelligat, ac plane perscipiat quam justum et rationi consentaneum sit nos certos quosdam dies habere, quos totos divino cultui tribuamus, Dominumque nostrum, a quo summa et innumerabilia beneficia accipimus, agnoscamus, colamus et veneremur.

Nota. Si enim jussisset nos quotidie sibi religionis cultum tribuere nonne pro suis erga nos beneficiis, quæ maxima et infinita sunt, omnis opera danda esset, ut prompto alacrique animo ejus dicto audientes essemus? Nunc vero, paucis ad ejus cultum institutis diebus, non est curnos negligentes atque difficiles in ejus officii functione simus, quod sine gravissima culpa prætermittere non possumus. *Vide de Consecr. dist. 2, et in Decretis titul. de feriis, et Conc. Matisc. 2, c. 1 et 7. Tribur. c. 35. Ignat. in Ep. ad Philip. Leon. serm. 3 de Quadrag. Aug. serm. 251 de Temp.*

Hoc præceptum observare quam honestum et utile.

XXXVIII. Demonstrat deinde parochus quanta hujus præcepti virtus sit, cum ii, qui illud recte servaverint in conspectu Dei esse, cum eo colloqui videantur: nam et precibus faciendis Dei majestatem contemplamur, et cum eo colloquimur: et concionatoribus audiendis Dei vocem accipimus quæ ad aures nostras eorum opera pervenit, qui derebus divinis pie sancteque concionantur: tum in altaris sacrificio presentem Christum Dominum adoramus; et his quidem

bonis illi maxime fruuntur, qui hoc præceptum servant diligenter.

Hoc præceptum violare quantum crimen.

XXXIX. Qui vero hanc legem omnino negligunt, ii, cum Deo et Ecclesie non obediant, neque ejus præceptum audiant, et Dei et sanctorum legum hostes sunt; quod animadverti potest ex eo quod præceptum hoc ejusmodi est, ut nullo labore servari queat. Cum enim Deus non labores nobis imponat, quos vel difficillimos ejus causa suscipere deberemus, sed quietos illis diebus festis a terrenis curis liberos esse jubeat, magnæ temeritatis indicium est hujus præcepti legem recusare. Exemplo nobis esse debent supplicia, quæ de illis Deus sumpsit qui illud violarunt, ut ex libro Numerorum (a) licet intelligere.

Nota. Ne igitur in hanc Dei offensionem incidamus, operæ pretium erit sæpe illud verbum, *memento*, cogitatione repetere, magnasque illas utilitates et commoda sibi ante oculos proponere, quæ ex festorum dierum cultu percipi supra declaratum est: et multa alia ad id genus pertinentia, quæ bonus et diligens pastor, ut occasionis ratio postulabit, copiose lateque persequi poterit.

DE QUARTO PRÆCEPTO DECALOGI.

HONORA PATREM TUUM ET MATREM TUAM, UT SIS LONGEVUS SUPER TERRAM QUAM DOMINUS DEUS TUUS DABIT TIBI.

Hoc præceptum superioribus ut conveniat.

I. Cum in superioribus præceptis summa sit vis et dignitas, merito quæ nunc persequimur,

(a) Num. 15, 32 et seqq.

quia maxime necessaria sunt, proximum locum obtinent: nam illa finem, qui Deus est, continuo spectant: hæc nos ad proximi charitatem erudiunt; etsi longius progressa, ad Deum, id est, illud extremum cujus gratia proximum ipsum diligimus perducunt. Quamobrem Christus Dominus præcepta illa duo de diligendo Deo et proximo (a) similia inter se esse dixit. *Vide Augustinum in Psal. 52, serm. 52, item libro 3 de Doctrina christiana, c. 10, et lib. 50, hom. 58. Divi Thomæ, 2, 2, quæst. 17, art. 8.*

Dilectio Dei ex dilectione parentum elucet.

II. Hic autem locus dici vix potest quantas habeat utilitates: cum et suos fructus ferat uberes illos quidem ac præstantes, et sit tanquam signum, ex quo primi præcepti obedientia et cultus elucet. Qui non diligit, inquit divus Joannes, (b) fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere? Ad eundem modum: si parentes, quos secundum Deum diligere debemus, non veneramus et colimus, cum nobis in conspectu fere semper sint; Deo summo parenti et optimo, qui nullum sub aspectum cadit, quem honorem, quem cultum tribuemus? ex quo perspicuum est utraque præcepta inter se congruere.

Quam late pateat hoc præceptum.

III. Hujus autem præcepti usus latissime patet: nam præter eos qui nos genuerunt, multi præterea sunt, quos parentum loco colere debemus, vel potestatis, vel dignitatis, vel utilitatis, vel præstantis alicujus muneris et officii nomine. Parentum præterea majorumque omnium laborem

(a) Matth. 22, 59. Marc. 12, 51. — (b) 1 Joan. 4, 20.